

1070  
109.

*Impropriè*, à phycis pro corpore subtili & tenui; vel pro ipso corpore, quod ex ore respirantis egreditur; vel pro Vento; vel pro corpore tenuissimo membra pervadente ex sanguine puriore & vapore genito, quod facultatum & animæ vehiculum dicitur à nonnullis. Et hic Spiritus triplex constituitur. 1. *Naturalis*, qui in Hepate originem trahit, & ab eò ad conservandas facultates animæ naturales, Autricem altricem & procreatricem funditur per venas. 2. *Vitalis*, qui in corde generatus per arterias ad facultatum vitalium in operationibus suis conservationem tendit 3. *Animalis* in cerebro oritur, in quantum ipsa cerebri substantia Spiritus vitales exhalantes assumit, & in Animales convertit, & per nervos ad facultates sensitivas in operationibus conservandas transmittit; vel pro Spiritu quasi præternaturali, qui in membrorum inflationibus seu tumoribus & rugitu ventris suboritur nonnunquam; vel pro formis corporum purioribus ex crassiori materiâ extractis, ut Spiritus absinthii, salis &c II. pro animâ vivente ipsarum plantarum & bestiarum, quæ forma materialis dicitur. (γ) *Propriè*, pro substantiâ immateriali & incorporeâ, non quidem ἐξ ἁπλῶς pro substantiâ immateriali, independenti simpliciter imutabili nempe solò DEO Sed pro omni substantiâ Immateriali, sive ea dependens, sive independens, sive completa sive incompleta sit. Jam licet vox Spiritus etiam rebus corporeis, ut vento, aëri & aliis interdum attribuatur, tamen quando de vivente & intellectu præditâ substantiâ absolutè prædicatur, quod sit Spiritus, tunc illa vox aliter accipienda est, prout scilicet incorpoream & omnis materiæ expertem substantiam denotat, quod exemplorum inductione ostendi potest. Nam nulla intelligens substantia dicitur absolutè Spiritus præter DEUM, animam rationalem & Angelos: quia autem de DEO & animâ rationali aliunde

B 2

constat,